

Scivit namque consilium sapientis, qui ait: Fili, *usque ad mortem certa pro iusticia* [Eccli. 4, 33]. Et ideo dicere potest: *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi*, 2 T. [4, 7]^o. Huic alludit beatus Ambrosius libro de bono mortis dicens¹⁷⁾: *Ideo legis quia Abraham mortuus est in bona senectute*, quia in propositi sui bonitate permansit. *Mors igitur vite est testimonium. Nam si laudari ante^p gubernator non potest quam in portum navem deduxerit, quomodo laudabis hominem priusquam in stationem^q mortis successerit? Et ipse sui est gubernator; et ipse vite huius iactatur profundo; quamdiu in salo^r isto, tamdiu inter naufragium. Dux ipse nisi confecto prelio non sumit lauream, nec miles arma deponit nec stipendii mercedem adipiscitur nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gracia remissionis. Quantum autem morti dedit sanctus Iob, qui dixit: Benedictio morituri in me veniat? Nam et Ysaac benedixit filios suos moriens, et Iacob benedixit patriarchas. Et post pauca: Cogitemus hunc semper versiculum et corde teneamus (aliter: revolvamus). Si quem pauperem viderimus^s moriturum, sumptu iuvemus^t, et dicat unusquisque nostrum: Benedictio morituri in me veniat. Si quem videmus debilem, non deseramus^u; si quem videmus in extremis positum, non relinquamus; occurrat et nobis dicere: benedictio morituri in me veniat. Laudet te unusquisque moriturus, unusquisque depositus evo, unusquisque confectus gravi vulnere, unusquisque morbo absumptus et iam^v morti proximus. Hic versiculus quantos benedici faciat, quociens mihi pudorem incussit, si moriturum preterii, si non visitavi egrum, si fastidiivi inopem, si captivum non redemi, si senem sprevi. Sit^w ergo in corde semper, ut stimulet^x duriores, ut admoneat promciores. Resonent te postrema verba morituri et benedictionem tui egrediens anima e corpore secum vehat. Hec ille. Unde ait in quodam sermone: Non sunt bona hominis, que secum ferre non potest; sola misericordia comes est defunctorum, quia *misericordia et veritas precedent faciem tuam*, in Ps. [88, 15]. Et sic patet minor propositio simul declarata. Quapropter concludo thema:*

o) prima ad Tymo 2 Ms.

p) nam Ms.

q) stationi Ms.

r) solo Ms.

s) Fehlt Ms.; ergänzt nach Migne.

t) invenimus Ms.

u) decernamus Ms.

v) etiam Ms.

w) si Ms.

x) stimulent Ms.

¹⁷⁾ Migne PL 14, 584.